



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dvbivm I. Quid sit Qualitas Prædicamentalis, sive quænam sit ejus vera definitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

ut vidimus supra, fundamentum & terminus materialiter interdum sunt entia relativa: vel essentia relativa? & hoc multò minùs, quia ordinariè sunt entia absoluta, undè omnibus in particulari convenire non possent: vel denique abstraherent ab absoluto & relativo; nec etiam hoc dici potest, 1^o. quia fundamentum & terminus in particulari non abstrahunt, sed sunt determinatè entia absoluta, vel relativa: 2^o. quia id quod abstrahit ab absoluto & respectivo, est ipsum ens, quod est superius ad relationem genus generalissimum, ac proindè non potest esse fundamentum & terminus illius, ergò, &c.

CCLXXVI. Respondeo 1^o. retorquendo argumentum in causam in genere, cognitionem in genere, &c. Causa in genere, quæ est supremum genus ad omnes causas, debet habere effectum sibi in genere correspondentem: Item cognitio, quæ est supremum genus ad omnes cognitiones debet habere objectum sibi in genere correspondens; sed hoc implicat, ergò, &c. Major patet, quia causa in genere definitur *Principium influens esse in aliud*; cognitio verò *objecti representatio*. Probatur minor, quia vel ille effectus esset causa alterius? & hoc non, quia effectus in communi debet non secus ac ipsa causa in communi, omnibus effectibus in particulari convenire, quod non fieret, quia dantur effectus, qui non sint causa alterius: vel non esset causa alterius? & hoc multò minùs, quia ordina-

riè effectus sunt activi & causa alterius: undè etiam omnibus in particulari convenire non posset: vel denique abstraheret ab esse causam, vel non esse causam alterius; neque etiam hoc dici potest, 1^o. quia effectus in particulari non abstrahunt, sed sunt determinatè causa, vel non causa alterius. 2^o. quia, quod abstrahit à causa & non causa est ipsum ens, &c. ut supra in objectione: idem argumentum fit in cognitione hoc modo: objectum cognitionis in genere est cognitio, vel non cognitio, vel abstrahit ab utraque, &c.

CCLXXVII. Respondeo 2^o. in forma negando minorem, ad ejus probationem, nego assumptum pro 1^a parte; haberet enim terminum abstrahentem ab absoluto & respectivo, id est, qui in actu signato, sive in esse termini, non potius exigeret esse ens absolute, quàm respectivum, vel è contrà, sed absolute & respectivum indifferenter esse posset, licet in actu exercito necessariò absolute vel respectivum esset: sic enim Propositio in omnium Sententia, abstrahere debet in suo conceptu formali ab affirmativa & negativa, in quantum in actu signato, sive in esse Propositionis, non magis exigit esse affirmativa, quàm negativa, vel è contrà, sed affirmativa vel negativa indifferenter esse potest, licet in actu exercito sit affirmativa vel negativa, saltem quoad nos. Idem proportionaliter dicendum de effectu supra, de objecto cognitionis, &c.

DISPUTATIO QVARTA.

De Qualitate.

D V B I V M I.

Quid sit Qualitas Prædicamentalis, sive quanam sit ejus vera definitio.

CCLXXVIII.

Qualitatem hic definit Aristoteles, quæ quales quidam dicuntur, ut albedo, scientia, virtus, &c. dici autem qualis, est denominari à concreto per quod responso datur, ad questionem factam qualis res est: circa hanc definitionem, vel potius descriptionem, ut bene notant Cajetanus, Sotus, Robel, Murcia, &c. sensum nostrum in disputatione aperiemus; hic tantummodo adverte, aliquid tribus modis posse denominari quale: 1^o. latissimè à quocumque concreto 4^o. aut 5^o. prædicabilis, quod potest esse substantiale, ut aurum respectu calicis: 2^o. strictius à concreto accidentali non substantiale, quod potest esse quantum, relativum, &c. 3^o. strictissimè à concreto, cujus forma est Qualitas hujus Prædicamenti, sed quid Qualitas hujus Prædicamenti, difficulter dicitur, ut patebit infra, ubi etiam de speciebus Qualitatis agemus. Quare sit

RESOLUTIO I.

CCLXXIX. **D**ico 1^o. definitio, quam supra ex Aristotele recensuimus, præterquam quòd obscura sit (ut constat ex advertentiâ ibi factâ) & cõtortâ explicatione indigeat, se per manet, quòd sit illegitima, quia non est notior definitio, siquidè æquè nobis ignotum est, quid sit esse quale, per quod Qualitas definitur, quàm quid sit esse qualitas, quæ

per illam definitionem definitur: eodem modo hanc rejicies, qualitas est accidens merè qualificativum substantiæ. Cur enim linea, non æquè est accidens merè qualificativum substantiæ, ac albedo, & sic de aliis?

RESOLUTIO II.

CCLXXX. **D**ico 2^o. definitio, quam varii Thomistæ adferunt, videlicet, *Qualitas est accidens absolutum perficiens substantiam secundum formam*, in multis peccat: 1^o. in eo, quòd omnes Qualitates in se non comprehendat, ut Qualitates afficientes Angelos, actus v.g. intellectus, voluntatis ipsorum, &c. quia in Angelis non est forma: item nec raritatem & densitatem, quæ magis sequuntur materiam, utpotè tantam vel tantam illius extensionem, vel potius ipsam protendentes, quàm formam: 2^o. in eo, quòd comprehendat sub se ea, quæ non sunt Qualitates, ut v.g. ubi (maximè cum in Physica probemus, illud esse rem) actionem, &c. vel enim per ly *absolutum* in definitione positum excluditur omne relativum formaliter, tam transcendentaliter quàm prædicamentaliter, vel solum relativum Prædicamentaliter: si 2^{um}, clarum est comprehendere ubi, actiones, &c. quia hæc non sunt relativa Prædicamentaliter: si 1^{um}, nulla dabitur (quod nullus dixerit) Qualitas, nam illa debet esse accidens; omne verò accidens præter Relationem Prædicamentalem, utpotè ex suo conceptu formali entis ens, est Relativum transcendentaliter: eodem modo rejicies definitionē. PP. Hurtadi & Arriagæ *Qualitas est accidens absolutum à quantitate distinctum.*

RESO-

RESOLUTIO III.

CCLXXX. **D**ico 3°. neque hæc aliorum definitio, *Qualitas est accidens principaliter ordinatum à natura, ut substantiam perficiat in essendo, vel operando; minus peccat. quia imprimis convenit quantitati, ubi, actioni, &c. quia quantitas & actio ut passio, à materia ut materiam, ubi & actio ut actio à forma ut formam (quæ sunt partiales substantiæ & naturæ) saltem in essendo perficiant, principaliter ordinatæ sunt: deinde actus v.g. vitales non sunt principaliter à natura, ordinati ad perficiendum substantiam, sed potentias, ad quas dicunt immediatam Relationem transcendētalem, & ad substantias non nisi mediatam; & tamen, secundum omnes, sunt Qualitates: denique Deus, natura naturarum perfectissima, principaliter creet qualitates extrà omne subjectum, ut potentiam suam manifestet principaliter, vel insigne aliquod miraculum tegat, ut de facto in sententia P. Ariagæ & nonnullorum ex Nominalibus, Species Eucharisticas creat, non erunt à materia ordinatæ ad perficiendum substantiam, ergo desinent esse Qualitates; consequentia est per-absurda; vidè dicta contrà P. Oviedū Disp. de Substantia Dub. 10.*

RESOLUTIO IV.

CCLXXXI. **D**ico 4°. ex duplici capite rejici debet hæc definitio *qualitas est accidens absolutum* (de quibus particulis supra num. 278. contrà Thomistas) *ordinatum ex se 1°. ad perficiendam substantiam; vel enim ly ex se 1°. idem est, quod principaliter à natura, & id statim refutatum est: vel idem, quod connaturaliter; quid obsecro connaturalius substantiæ, quam productio proprietatum, quam ubi, quam quantitas materiæ, &c.* Deinde numquid vitia sunt Qualitates voluntatis, errores Qualitates intellectus; has tamen potentias connaturaliter non perficiunt, sed omnino contingenter, sicut albedo parietem: quod enim aliqui velint has Qualitates deturpare & non perficere; verum est moraliter, non Physicè & transcendentaliter, nam ad actus Physicè & transcendentaliter bonos, licet moraliter malos, perficiunt.

RESOLUTIO V.

CCLXXXII. **D**ico 5°. propius ad naturam Qualitatis accedit definitio P. Oviedī, *Qualitas est accidens, quod secundum rationem superiorem Prædicamenti tantum sequitur actualitatem perfectam*, id est, est accidens, quod secundum genus supremum sui Prædicamenti sequitur tantum substantiam simplicem completam, vel tantum formam; per ly *tantum* excludit Relationem, ubi, actionem, &c. quæ sequuntur materiam & formam, per ly *actualitatem* excludit quantitatem, quæ sequitur potentialitatem, sive materiam: si verò hæc relatio, hoc ubi, hæc actio, &c. sequatur actualitatem perfectam tantum, hoc non habet secundum genus supremum sui Prædicamenti, id est, ut relatio, ut ubi, &c. quare non est Qualitas. Verum hæc definitio suas etiam habet difficultates: 1°. quia non satis apparet, quid significet illud *sequitur* in definitione positum: vel enim significat idem, quod, actualitatem perfectam, sive formam substantialem tantum

perficit; vel idem, quod ab actualitate perfecta tantum producit; vel idem, quod in actualitate perfecta recipitur: si 1^{um}, quatuor 1^æ Qualitates non erunt Qualitates, quia non tantum actualitatem perfectam perficiunt, sed etiam materiam 1^{am}, in qua, vel immediate, vel saltem mediante ejus potentia receptivâ instrumentali recipiuntur: si 2^{um}, Gratia, Fides, Spes, Charitas respectu hominis, lux respectu aeris, calor respectu aquæ, &c. non erunt Qualitates, quia ab eorum actualitate perfecta sive forma substantiali non produciuntur: si 3^{um}, 1^æ Qualitates, imò nullæ materiales (saltem non modales) erunt Qualitates, quia in materia immediate, vel saltem mediante ejus potentia receptivâ instrumentali (ipsomet teste) recipiuntur: deinde ab Oviedo probandum manet, quod illud sit Qualitas, quod secundum rationem superiorem Prædicamenti tantum sequitur actualitatem perfectam; si enim poneretur unicum Prædicamentum *entis*, vel duo tantum, *substantiæ & accidentis*, ut probabiliter potest, nihil esset assignabile, quod secundum rationem superiorem Prædicamenti tantum sequeretur actualitatem perfectam, quia ens & accidens sunt communia materiæ & formæ; ergo isto casu nulla daretur Qualitas; absurda est sequela, ergo & definitio, ex qua sequitur: deinde, sicut datur vera Qualitas, videlicet unio inter materiam & quantitatem (in sententia P. Oviedī hanc realiter distinguens à materia, & illam ab educatione) quæ actualitatem perfectam nullo modo sequitur, secundum rationem specificam *qualis*, & à fortiori secundum rationem superiorem Prædicamenti, ut patet; ita ad essentiam Qualitatis omnino frustra requiritur illa secundum rationem superiorem Prædicamenti sequi actualitatem perfectam: adde species visuales esse veras qualitates, & tamen dictam actualitatem non sequi, sed colorem sive in materia tamquam subjecto, sive extrà omne subjectum.

RESOLUTIO VI.

CCLXXXIII. **D**ico 6°. minus, quam aliæ hæc definitio nonnullorum aliorum Recentiorum: *Qualitas est accidens non modale, à quantitate distinctum, bene aut male afficiens subjectum in se, vel in ordine ad operationem* admitti debet; quia potius dicit quid Qualitas non sit, quam quid sit: deinde superflua continet, videlicet *bene aut male*, quia quidquid Qualitas afficit *bene aut male afficit*; denique nec ubi; nec relationem; nec situm excludit; hæc enim non sunt accidentia modalia, & subjectum saltem in se bene afficiunt; imò unionem accidentalem, si realiter ab educatione distinguatur (quod plerique docent) non includit.

CCLXXXIV. Dices fortè cum Patre Comptono Disp. 10. Metaph. Sect. 1^a. omitti aliorum definitionibus. Qualitas omnino melius defini videtur, hoc modo, *Qualitas est accidens absolutum à quantitate distinctum bene aut male afficiens subjectum*, ergo, &c.

CCLXXXV. Respondeo hanc definitionem minus, quam præcedentem admitti debere, quia præterquam quod impingat in omnes difficultates contrà illam allatas, includit *actionem*, *unionem*, & cæteros modos, quibus convenit esse absolutum, prout opponitur relativo, puta prædicamentaliter, quia cuilibet Qualitati convenit esse relativum transcendentaliter, utpote essentialiter entis ens.

RESOLUTIO II.

CCLXXXVI. **D**Ico 2^o. omnium commodissimè Qualitatem defines hoc modo, *Qualitas est accidens solidum substantiæ duranti & ubi-
cate realiter adveniens.*

CCLXXXVII. Dixi *accidens solidum*, ut excludat actionem de Prædicamento actionis, quæ ut prædicamentalis abstrahit ab eo, quod sit ens solidum vel modale, uti ubi quatenus prædicamentale abstrahit ab eo, quod fiat cum tali vel tali correspondentia partium inter se, quam dicit *firmus, sessio, cubatio*, &c. Vnde ens ut unius Prædicamenti specificativè potest de ente alterius prædicamenti prædicari essentialiter, ut patet in ubi respectu sessionis, cubationis, &c. non verò ut alterius Prædicamenti re-duplicativè, quia ut sic formaliter ab altero semper distinguitur, ut consideranti patebit.

CCLXXXVIII. Nota Aristotelem hic multipliciter qualitatem ad sensum vulgi dividere, eodem modo, quò suprà quantitatem divisit.

CCLXXXIX. 1^o. In habitum vel dispositionem: habitus autem vel dispositio (ut communiter explicatur) est *qualitas acquisita vel infusa, difficulter aut facile amovibilis*, quæ aliquo modo subiectum disponit in ordine ad bonum proprium, vel alienum, ut omnes qualitates supernaturales, albedo, sonus, &c. habitus autem & dispositio accidentaliter tantum

distinguantur sive secundum maiorem, quomodo habitus, & minorem, quomodo dispositio dicitur, intentionem.

CCLXXX. 2^o. In potentiam vel impotentiam: potentia vel impotentia est *qualitas à natura infusa, quæ subiectum redditur potens vel impotens*, id est, debiliter potens ad operandum, patiendum, vel resistendum; sic visus in juvene, dicitur potentia, in senè impotentia: nec hæc (ut patet) aliter distinguuntur, quam habitus & dispositio.

CCLXXXI. 3^o. In passibilem qualitatem, vel passionem: passibilis qualitas vel passio hic accipi solet pro qualitate aliquo sensu perceptibili, vel affectione appetitus difficulter aut facile amovibili; sic pallor ex metu, calor ex ira, rubor ex verecundia, & ipsemet actus metus, iræ, verecundiæ, &c. sunt passibilis qualitas, si diu durent; passio, si cito transeant: neque hæc aliter distinguuntur, quam priores, ut consideranti patebit.

CCLXXXII. 4^o. In figuram vel formam: figura autem vel forma est *qualitas quantitatem terminatam consequens*; si corporis artificialis, vocatur figura; si viventis, forma, juxta hunc versum

Viventis formam, ficti dic esse figuram

ex quo liquet illas loco connotato distingui, nec, quod verisimilius, ad hoc Prædicamentum pertinere, sed ad situm, à quo nulla ratione videntur distingui, licet hic numerentur ex vulgi opinione,

DISPUTATIO V.

De reliquis Prædicamentis.

CCLXXXIII. **A**ntè Resolutiones Suppono reliqua Prædicamenta esse sex. *Actionem* scilicet, *Passionem*, *Ubi*, *Quā-
dā*, *Situm* & *Habitum*, quæ brevissimè hic prosequitur Aristoteles, eò quòd illorum tractatio maximè Physicam concernat, in quam etiam illorum pleraque rejiciemus.

RESOLUTIONES.

I.

CCLXXXIV. **D**Ico 1^o. actio est forma à qua aliquid dicitur agere; Passio forma à qua aliquid dicitur pati: sic productio caloris, dicitur actio; ejus receptio in subiecto, passio: sed de his in Physica.

II.

CCLXXXV. **D**Ico 2^o. ubi est presentia rei in loco, ut esse in classe, in choro, &c. an autem illa presentia debeat esse formalis, an fundamentalis tantum? an actio & ubi sint res solidæ; an tenuis & modus; fusè declarabitur in Physica.

III.

CCLXXXVI. **D**Ico 3^o. quando est existentia rei in tempore, ut esse hodie, fuisse heri, &c. an & quomodo quando distinguatur à re-

vel actione, similiter in Physica declarabitur.

IV.

CCLXXXVII. **D**Ico 4^o. Situs est dispositio partium totius cum certa proportionem & correspondentia ad invicem in ordine ad locum, ut sessio, cubatio, statio, &c. Situs autem non distinguitur realiter ab ubi circumscriptivo, sed formaliter tantum, eò quòd fiat cum proportionem & correspondentia, ubi verò circumscriptivum ab ea abstrahendo. Hinc

CCLXXXVIII. Colliges Angelos non habere situm, quia non habent partes, caput, ventrem & similes heterogeneas, ratione quarum dicitur hoc animal stare, federe, &c.

V.

CCXCIX. **D**Ico 5^o. habitus est indumenti hominis ad corpus applicatio, id est, tales ubicationes partium corporis hominis, & indumenti ad illum, ut dicatur indutus, vestitus, armatus, &c. habitus non distinguitur realiter ab ubi circumscriptivo, sed formaliter tantum, sicut & à situ; quia præter ubi circumscriptivum & proportionem ac correspondentiam partium ejusdem corporis inter se, dicit duorum corporum coexistentiam, v. g. hominis & vestis, cum proportionem & correspondentiam inter se.

TRAC-